



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 86. Venetorum clades, Brescia occupata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Gallorum redirent, Venetosque Magi-
 stratus traderent. Ast illi ejusmodi peti-
 tum nonnisi contumeliosis jocis in Re-
 gem, Gastonem, Gallicamque nationem
 effusis excipiebant, qua injuria Gasto ma-
 gis magisque concitatus, altera die co-
 pias suas urbis turri admovit, positisque
 ad portam S. Faustinae castris, gravi ora-
 tione suos allocutus ajebat: „ Brixiam
 „ aspiciate, urbem illam opulentia cele-
 „ berrimam, ac facilis victoriæ præmi-
 „ um, vos quidem macti virtute estote,
 „ ac proxima opimæ prædæ spes vos alli-
 „ ciat, vestrumque ardorem accendat. „
 His dictis, moxque dato ad pugnam si-
 gno mille quingentos sclopetarios, quos
 Veneti ad tuendum propugnaculum ex-
 posuerant, una omnes ferro trucidavit.
 Pertinax utrinque, cruentumque initur
 prælium, jamque mutua cædis immani-
 tas in quintam omnino horam effluebat,
 Gastone interim aut accelerandæ, aut
 perficiendæ victoriæ primas partes a-
 gente.

§. LXXXVI.

Venetorum clades, Brixia occupata.

Demum cæso Venetorum exercitu, su-
 peratisque omnibus vallis Gasto to-
 tus in eo erat, ut Brixiam quoque ar-
 mis suis subjiceret: Ergo copiis suis mox
 in duo agmina divisit, ipse cum uno

X 4

per

Sæcul. XVI. per viam breviorē civitatem versus pro-
A.C. 1512 greditur, alterum vero ductore Paliceo
 ad adversam, ubi arcior erat urbis situs,
 partem emittit, statimque binos ausul-
 tus tentat, atque utramque irruptionem
 pari impetu exequitur, murisque supe-
 ratis, in quavis platea novo certamine
 per dimicantium acies erumpere cogitur,
 tanta Venetorum ac Brixientium pertina-
 cia, ut hi vitæ veniam obtinere despe-
 rantes nequidem victorum clementiam
 exorarent. Capti sunt Grittus Justinia-
 nus, qui duobus abhinc diebus Brixiam
 venerat, necnon Manfronius, cum qui-
 busdam aliis sese Gallorum arbitrio per-
 mittentibus, quos inter Avogarus quo-
 que cum duobus filiis suis numerabatur;
 denique urbs opum abundantia præ om-
 nibus Longobardiæ urbibus, excepto
 Mediolano, longe felicissima, solidis se-
 ptem diebus deprædantium militum fu-
 rori exponebatur; Grittus vero jure belli
 captus habebatur, Avogarus autem pro-
 ditor eodem temporis puncto, ejus vero
 duo filii paucis post diebus cum præci-
 puis seditionis motæ sociis jussu Gasto-
 nis capite plectebantur. Varia est Scri-
 ptorum opinio de cæsorū numero; aiii
 enim Venetorum viginti millia & amplius
 numerant; Itali vero Historici nonnisi de-
 cem circiter millia recensent.

Mocenigo
 l. 4.

Hic

Hic fuit exitus expeditionis, quam Sæcul. XVI.
A.C. 1512. Gasto Fuxensis susceperat, qui intra quindecim dierum spacium fortissimorum Belliducum experientiam elusit, Bononiam ab exercitu viribus suis longe superiore obsessam liberavit, aeris injuriam superavit, expedita Venetorum agmina interceptit, dissipatisque eorum indigenis militibus totum exercitum prælio vicit, ac Brixiam munitissimam continentis urbem unacum eorum Belliduce cepit. Jam omnium sententia erat, tam secunda armorum auspicia continuatæ felicitatis auguria fore, totumque Fœderatorum exercitum a Gastone penitus deletum iri, demum hunc Victorem Romam perecturum, ut Julii Papæ odium, quod in Gallos exerebat, plecteret, eoque exaucto rato novum Papam eligi curaret; addebant alii, Gastonem quoque Roma Neapolin usque, cujus regni dominium Ludovicus Rex affectabat, victricia sua arma protensurum, Hispanosque castigaturum.

§. LXXXVII.

Henricus VIII. Gallorum hostis.

Attamen Fœderati hisce adversantis fortunæ injuriis adeo non animo frangebantur, ut eorum etiam societas novis viribus potenter cresceret; Florentini